

CANONES PRAELIMINARES CODICIS (CIC).

Comparatio cum canonibus praeliminaribus Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium (CC)

SUMMARIUM: Correspondentia materiae sex canonum praeliminarium in utroque Codice ostenditur ut deinde exponantur singulorum similitudines atque differentiae. Ultima sunt quandoque non parvi momenti.

1. Uterque Codex, latinus et orientalis, incipit sex canonibus sub titulo «*Canones praeliminaries*».

Verumtamen, in CC deest can. 5 CIC de consuetudinibus quae promulgationem Codicis praecedebant. Non vero absolute deest mentio de illis consuetudinibus, cum de his agatur sub n. 2 can. 6 CC.

Correspondentia materiae igitur sic habetur:

CIC	CC
Can. 1: quos fideles obligat.	Can. 1: quos fideles obligat.
Can. 2: de relatione ad liturgiam.	Can. 3: de relatione ad liturgiam.
Can. 3: de concordatis.	Can. 4: de concordatis.
Can. 4: de iuribus quaesitis et privilegiis.	Can. 5: de iuribus quaesitis et privilegiis.
Can. 5: de consuetudinibus ante CIC.	Can. 6,2º: de consuetudinibus ante CC.
Can. 6 § 1: de legibus ante CIC.	Can. 6,1º: de legibus ante CC.
Can. 6 § 2: de referencia ad ius vetus.	Can. 2: de iure antiquo recepto vel accommodato.

2.

Can. 1:

Canones huius Codicis
unam Ecclesiam latinam respi-
ciunt.

Can. 1:

Canones huius Codicis
**omnes et solas Ecclesias orien-
tales catholicas, nisi, relationes
cum Ecclesia latina quoad atti-
net, aliud expresse statuitur.**

3. Canon 1 CIC simpliciter enuntiat principium posi-
tivum: canones unam Ecclesiam latinam respicere.

Principium simile, pariter modo positivo, enun-
tiat can. 1 CC, expresse indicando quod Ecclesiae
orientales, de quibus agitur, sunt tantummodo Eccle-
siae orientales catholicae, non ergo Ecclesiae Ortho-
doxae.

Qua indicatione continetur implicitum princi-
pium nullas leges CC respicere acatholicos orientales.
Hoc implicitum principium cohaeret cum can. 1490
eiusdem CC qui sonat, fere ad verbum, sicut can. 11
nostri Codicis:

*«Legibus mere ecclesiasticis tenentur baptizati in Eccle-
sia catholica vel in eandem recepti, quique sufficientem
usum rationis habent et, nisi aliter iure expresse cavetur,
septimum aetatis annum expleverunt»¹.*

4. Can. 1 CIC illo positivo principio absolvitur quin
ullas enuntiet exceptiones.

Can. 1 vero CC pergit decernendo exceptionem
illo principio, scilicet, tunc quando canones CC sta-

¹ Discrimen mere stylisticum habetur cum can. 11 CIC, etenim loco «*quique sufficienti rationis usu gaudent*» CIC, CC dicit quique sufficientem usum rationis habent; ac deinde loco subiunctivi «*caveatur*» CIC, CC scribit cavetur.

tuunt aliquid in materia relationum cum Ecclesia latina, *aliud expresse statuendo*.

Sensus huius exceptionis videtur esse sequens. Tunc cum canones CC aliquid determinant quod versatur in materia relationum cum Ecclesia latina, si canón «expresse» statuatur «*aliud*» ac hic can. 1 statuit, scilicet concretum praescriptum, respicere etiam Ecclesiam latinam, tunc illud praescriptum respicit et Ecclesiam latinam. Non ergo sufficit praescriptum esse ita diversum ut cum praescripto CIC componi non possit.

5. Hac exceptione, can. 1 CC valde differt a can. 1 CIC, etenim, prout dicebam, praescriptum can. 1 CIC, Codicem scilicet respicere unam Ecclesiam latinam, nullas patitur exceptiones, ne quidem illam quae in Can. 1 CIC/17 statuebatur: «*nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam orientalem afficiunt*».

In canonibus CIC (sicut de cetero, et in CC) contineri possunt praescripta ex iure naturali (vgr. can. 793 § 1 CIC de iure-obligatione parentum ad liberorum educationem), vel ex iure divino positivo (vgr. can. 330 de coniunctione inter Romanum Pontificem et Episcopos). Evidens est orientales parentes non minus quam latinos (immo non minus quam quoslibet, etiam non christianos, parentes) iure ad liberorum suorum educationem gaudere et officio devinciri, sed id non habetur *vi canonis* CIC, sed *vi* ipsius iuris naturalis, quod illo canone, tanquam etiam lex positiva, enuntiatur. Similiter praescriptum constitutionale de relationibus inter Romanum Pontificem et Episcopos, orientales non minus quam latinos tenet, verum orientales non tenet *vi canonis* CIC.

Re quidem vera, ne quidem latini ipsi, praescriptis tenentur in his casibus, *vi canonis* ipsius, nisi

fortasse canon aliquam contineat iuris naturalis vel divini *ulteriore*, et quidem positivam, determinationem.

6. Iuxta principium can. 1 CIC nullus canon CIC invocari potest ad fidelium orientalium actionem definiendam, ne quidem quando canon ille nititur in veritate communi. Veritas haec invocanda erit, non canon CIC.

Idem omnino dicendum esset de canonibus CC respectu fidelium latinorum, sed can. 1 CC, determinando exceptionem, aliter omnino procedit. CC, dummodo «*expresse*» id faciat in aliquo canone, respicere potest et fideles latinos.

Quae affirmatio, si in CIC facta fuisset, conclamasset orientales Ecclesiam latinam pergere velle se considerando, quoad ius, superiorem Ecclesiis orientalibus. Contrarium, scilicet CC posse determinare ius latinorum, in iis quae relationes interitiales, quae dicuntur, quo iure admitti potest?².

7. Commissio orientalis quae CC praeparavit non perspexit, ni fallor, consequentiam iuridicam quae continetur in affirmanda exceptione can. 1. Textus sumebatur, initio laborum, ex Schemate 1945, in archivis Congregationis Orientalis, qui textus postquam asserebat Codicem afficere fideles rituum orientalium, pergebat: «*latinos autem non tenet [Codex] nisi ipsi expresse nominentur*»³.

Commissio orientalis considerabat exceptionem respondere illi quae in CIC/17 continebatur (supra n.

² Cf. *Ecclesiarum Orientalium* 3 de paritate dignitatis omnium Ecclesiarum ritualium sub unico Summo Pontifice.

³ Cf. *Nuntia* n. 10 [1980] 87-88.

3), quamquam revera diversa erat, cum CIC consideraret orientales teneri ex iis quae in CIC exprimebantur «*si ex ipsa rei natura etiam orientalem afficiunt*». Praesumi potest commissionem considerasse Codicem orientalem non *nominare* latinos nisi in iis quae ex rei natura et eos afficiebant. Illa intelligendo quae ius divinum referunt, vel etiam ea quae *indirecte* quidem, seu ratione fidelis orientalis, alios, sive orthodoxos sive latinos, afficere possunt, ut in materia nuptiarum mixtarum⁴. Subsequenter, Commissio orientalis clausulam iudicavit superfluum, immo contrariam spiritui oecumenico, quia contineret *extensionem* praeceptorum Codicis orientalis ad Orthodoxos. Admissit ergo clausulam sequentem: «*nisi de relationibus interitualibus, agitur, quae latinos quoque respiciunt*»⁵.

In hac igitur formulatione, sicut et in formulatione can. 1 CC, Commissio orientalis non perspexit quidquam haberi minus «oecumenicum» respectu latinorum. Id quod confirmatur, responsione Commissionis observationi finali, ut iterum assumeretur formulatio prior: «*nisi ex natura rei vel expresse aliud statuatur*», etenim, ita argumentabatur Commissio, vitari oportet ne CC intelligi possit tanquam complementum CIC siquidem ad solam Ecclesiam latinam referatur clausula⁶.

⁴ Cf. *Nuntia* n. 19 [1984] p. 4.

⁵ Cf. *Nuntia* n. 22 [1986] p. 13,2 et 4. In fine, tandem admittitur formulatio actualis (*ib.* p. 14 initio).

⁶ Cf. *Nuntia* n. 28 [1989] p. 13. Neque animadverterunt qui formulationem priorem maluerunt, quod per *additionem* «vel expresse» non simpliciter habetur clausula prior, neque servatur ratio propter quam mutatio proponitur.

8. Prout patet CC nullo modo considerari potest iuridicum complementum CIC, eo sensu quod canones CC unquam haberi possint afficientes latinos, sicut nec canones latini afficientes orientales, prout supra dixi.

In materiis interitualibus, praescripta utriusque Codicis, quantum fieri potest, concordanda sunt, nec dici potest quod ex eo quod CC postea promulgatus sit a supremo communi legislatore, si quando habeatur praescriptum quod CIC contradiceret, praescriptum CC praevalere et *latinos fideles afficere*. Agitur enim de legibus universalibus quae pertinent ad duo systemata legalia diversa.

In huiusmodi casibus, «*correctio*» unius vel alterius ex normis CIC vel CC, quae simul servari non possunt, vel utriusque, a suprema auctoritate promulganda esset nec sufficeret, meo iudicio, Consilii pro textibus legum interpretandis authentica interpretatio unam normam prae aliam sustinendo, siquidem in casu non interpretatio, sed iuris correctio haberetur.

Exemplum habemus in cann. 112 § 1,2º CIC et can. 33 CC. Etenim iuxta CIC, ius est *sponso latino*, in contrahendo matrimonio, ritum sponsae orientalis assumere, vel etiam *sponso orientali* ritum latinum sponsae. Verumtamen, iuxta CC id nullo modo admittitur, siquidem illud ius tantummodo *mulieri* agnoscitur⁷.

9.

Can. 2

Codex plerumque non definit ritus, qui in actionibus liturgicis celebrandis sunt servandi;

Can. 3

Codex, etsi saepe ad praescripta librorum liturgicorum se refert, de re liturgica plerum-

⁷ Can. 112 CIC loquitur de «*coniuge*», dum can. 33 CC de «*muliere*».

quare leges liturgicae hucusque vigentes vim suam retinent, nisi earum aliqua Codicis canonibus sit contraria.

que non decernit; quare **haec praescripta sedulo servanda sunt**, nisi Codicis canonibus sint contraria.

10. Hi duo canones, primo aspectu, videntur omnino idem praescriptum statuere, quamquam stylistice distinguantur. Verumtamen, ni fallor, quaedam diversitates quae ultra stylum procedunt notari possunt et debent, iuxta quas formulatio CIC magis accurata dicenda videtur.

Imprimis assertio secundum quam canones CC «saepe» quidem ad «*praescripta librorum liturgicorum*» se referunt, dum CIC asserit potius huiusmodi referentiam — ad leges liturgicas — «*plerumque*» deesse in suis canonibus.

Deinde, CC in genere habet «*de re liturgica plerumque non decernit*». CIC autem non id asserit ita generali modo, sed magis determinate «*non definit ritus, qui in actionibus liturgicis celebrandis sunt servandi*».

11. Can. 2 CIC, contra id quod non raro commentatores CIC/17 asserebant, non statuit *ius liturgicum*, ut plurimum, manere extra Codiciale. Canon loquitur tantum de certa categoria legum liturgicarum, scilicet de illis quae determinant «*ritus, qui in actionibus liturgicis celebrandis sunt servandi*». Canon igitur loquitur de *modo* celebrandi actiones liturgicas. Agitur de veris legibus disciplinaribus canonicis, quae determinant modum agendi, in campo maximi momenti vitae communitariae, scilicet campo cultus publici⁸.

⁸ In animadversionibus ex organis consultationis ad Canones CC, legebatur: «*Il diritto liturgico è nella tradizione orientale, un*

Can. 3 CC intelligendus est etiam de *modo* celebrandi actiones liturgicas, sed et praeterea de aliis omnibus aspectibus «rei liturgicae».

12. Ipsa consequentia quae in utroque canone exprimitur, etiam, iuxta dicta, diversa amplitudine intelligenda est. In CIC solummodo si in aliquo canone habeatur praescriptum, «*de modo celebrandi liturgiam*», contrarium legibus liturgicis iam existentibus, quae inveniuntur in variis libris sicut missali, horarum liturgicarum, ordinum sacramentorum, etc., tunc praevallet praescriptum CIC. Iuxta CC autem conclusio valet de qualibet lege liturgica, etiam vgr. de lege quadam constitutionali, ut haberi posset quoad materiam et formam sacramentorum⁹.

Praeterea, affirmatio CC «quare haec praescripta sedulo servanda sunt, nisi Codicis canonibus sint contraria», accentum ponere videtur in officio sese accomodandi legibus vigentibus «de re liturgica», quamquam iuxta Commissionem intentio non haec erat, sed tantum statuere normas contrarias Codici, sive existentes sive ab Ecclesiis sui iuris introductas, «nullas» esse¹⁰.

diritto proprio che non viene definito né positivamente né negativamente dal diritto canonico, [emphasis a me] e che non è stato toccato mai nemmeno dal diritto pontificio (*Nuntia*, n. 22 [1986] p. 14). Commissio, reiecit observationem, excipiendo historiam atque conceptus iuridicos.

⁹ Materia, exempli gratia, est necessaria pro celebratione sacramenti, sed lex quae, iuxta data theologica, recolit quanam est materia determinata, non est de *modo* celebrandi sacramentum, seu de «ritibus et caeremoniis».

¹⁰ Cf. *Nuntia*, n. 10 [1980] p. 89; n. 19 [1984] p. 4; nn. 24-25 [1987] p. 1.

13.

Can. 3

Codicis canones initas ab Apostolica Sede cum nationibus aliisve societatibus politicis conventiones non abrogant neque iis derogant; eadem idcirco perinde ac in praesens vigere pergent, contrariis huius Codicis praescriptis minime obstantibus.

Can. 4

Canones Codicis initas **aut approbatas a Sancta Sede** conventiones cum nationibus aliisve societatibus politicis non abrogant neque eis derogant; eadem idcirco perinde ac in praesens vigere pergent contrariis Codicis praescriptis minime obstantibus.

14. Unica diversitas notanda habetur in additione can. 4 CC «aut approbatas a Sancta Sede», quae supponit conventiones iniri posse ab aliis instantiis ecclesiasticis inferioribus, dummodo a Sede Apostolica approbentur. De facto, Conferentiae episcoporum possunt quandoque, et sub iure latino, quasdam conventiones inire cum auctoritatibus civilibus, quamquam canones CIC contrarium potius implicite praesupponere videantur¹¹.

¹¹ Can. 365 CIC munus considerat Legati pontificii apud Civitates, necessitudines inter Ecclesiam et civitatem fovere quaestionesque pertractare pertinentes ad mutuas relationes. Addit verumtamen in § 2: «*Prout adiuncta suadeant, Legatus pontificius sententiam et consilium Episcoporum dicionis ecclesiasticae exquirere ne omittat, eosque de negotiorum cursu certiores faciat*». «Episcopos» innuere videtur tractationem cum singulis distributive, non coniunctim seu tanquam coetum.

De certis inceptis Episcoporum ad statuendas relationes cum auctoritatibus civilibus, cf. C. CORRAL, Patrimonium historicum artisticum Ecclesiae a conventionione Hispaniae-Sanctae Sedis ad XVII conventiones Ecclesiarum particularium-Communitatum in Hispania autonomarum, *Periodica* 79 (1990) 605-623.

«*La Conferenza Episcopale Italiana sviluppa gli opportuni rapporti con le realtà culturali, sociali e politiche presenti in Italia, ricercando una costruttiva collaborazione con esse per la promo-*

Ratio cur additio a Coetu orientali facta fuerit, a Commissione data est. Schema orientalis de Patriarchis, his iam agnoscebat ius stabiliendi conventiones cum societatibus civilibus, quae, certe, ut valeant, a Summo Pontifice approbandae sunt¹².

15.

Can. 4

Iura quaesita, itemque privilegia quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive iuridicis concessa, in usu sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur.

Can. 5

Iura quaesita itemque privilegia, quae a Sede Apostolica ad haec usque tempora personis physicis vel iuridicis concessa in usu sunt nec revocata, integra manent, nisi Codicis canonibus expresse revocantur.

16. Nullum habetur notandum discrimen, quamquam CC non ad litteram transcribat canonem CIC. Mutat enim collocationem virgularum, omittit qualificationem Codicis «huius» (CIC), invertit terminos «Apostolica Sede» (CIC), nec habet «sive, sive» (CIC) sed «vel» ad indicandas personas físicas et iuridicas, et tandem, pro more, substituit indicativum «revocantur» pro subiunctivo «revocentur» (CIC).

zione dell'uomo e il bene del Paese.» (Statuta Conferentiae Italianae, art. 5 § 1). Magis specificè in § 3: «Nel rispetto delle debite competenze e per il tramite della Presidenza, la Conferenza tratta con le Autorità civili le questioni di carattere nazionale che interessano le relazioni tra la Chiesa e lo Stato in Italia, anche in vista della stipulazione di intese che si rendessero opportune su determinate materie». § 4 praevidet adhuc mandata, ex parte Sedis Apostolicae, pro conventionibus in certis materiis. Cf. Etiam Statuta Conferentiarum Berlin, art. 2; Bolivia, art. 21; Brasil, art. 1; Jugoslaviae, art. 1d; Venezuela, art. 6.

¹² Cf. *Nuntia*, n. 10 [1980] p. 90.

17. In cursu praeparationis a Coetu orientali, initio addebatur post «*a Sede Apostolica*»: «*sive a Patriarchis vel Episcopis*». Immo, supprimendo huiusmodi additionem, Coetus revisionis putavit, post promulgationem Codicis necessariam fore normam transitoriam circa «iura quaesita» concessa a Patriarchis aut Episcopis¹³. Opinio valde curiosa quidem, quatenus normae transitoriae potius inter canones praeliminares locum invenire deberent. Quodsi de «iuribus quaesitis» post Codicem promulgatum cogitabant, tunc non norma transitoria, sed canon aliquis parandus erat. Opinio vero haec non minus curiosa, quatenus revelat conceptum mirum «iuris quaesiti». Haec enim iura minime ab aliquo «conceduntur», sed ea obtinentur posito a persona, sive physica sive iuridica, legitimo actu iuridico, a lege quidem positiva sancito.

18. Organa duo orientalia consultationis postea proposuerunt ut canon rationem haberet «privilegiorum» sensu privilegiorum Patriarcharum de quibus in «*Ecclesiarum Orientalium*» n. 9. Scilicet voluit Concilium Vaticanum ut Patriarcharum «*iura et privilegia instaurantur, iuxta antiquas traditiones uniuscuiusque Ecclesiae et Synodorum Oecumenicorum decreta*», iura et privilegia igitur quae tempore unionis Orientis et Occidentis viguerunt. Respondit autem Coetus non de his privilegiis agi in canone, sed de privilegiis «stricto sensu» iuxta can. [hodie] 1531 § 1: «...*scilicet gratia in favorem certarum personarum physicarum vel iuridicarum per specialem actum facta...*» (cf. can. 76 § 1 CIC)¹⁴.

¹³ Cf. *Nuntia*, n. 10 [1980] p. 90.

¹⁴ Cf. *Nuntia*, n. 22 [1986] p. 15. In fine revisionis CC iterum fuit propositio ut canon inspiraretur in n. 9 EO Vaticani II, sed eadem fuit responsio Coetus (cf. *Nuntia*, n. 28 [1989] p. 14).

19.**Can. 5**

§ 1. Vigentes in praesens contra horum praescripta canonum consuetudines sive universales sive particulares, quae ipsis canonibus huius Codicis reprobantur, prorsus suppressae sunt, nec in posterum reviviscere sinantur; ceterae quoque suppressae habeantur, nisi expresse Codice aliud caveatur, aut centenariae sint vel immemorabiles, quae quidem, si de iudicio Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis submoventi nequeunt, tolerari possunt.

§ 2. Consuetudines praeter ius hucusque vigentes, sive universales sive particulares, servantur.

Can. 6

Codice vim obtinente:

2° **revocatae sunt omnes consuetudines**, quae canonibus Codicis reprobantur aut quae eis contrariae sunt nec centenariae vel immemorabiles.

20. Ex simplici lectione, iam dicendum satis magnum intercedere discrimen inter duos hos canones qui de consuetudinibus, quae Codicem praecedebant, agunt. Initio, iam ab anno 1978, canon CC formulatus fuerat sicut in CIC¹⁵. Sed numerosae fuerunt observationes ab organo consultationis anno 1986, unde mutationes quae duxerunt ad actualem can. 6, 2° CC simplificationem, quibus satis differt a can. 5 CIC.

21. Imprimis, CC non considerat in specie consuetudines «praeter ius» de quibus in § 2 CIC, sicut nec in CIC/17 considerabantur. Id autem notetur, siquidem

¹⁵ Cf. *Nuntia*, n. 10 [1980] (can. 5), p. 90.

§ 1 agit de consuetudinibus «contrariis», praescriptum § 2 non apparet necessarium. Implicitum enim est consuetudines «praeter ius» manere, siquidem iuxta § 1 tantummodo consuetudines «contrariae» Codici revocantur.

Notare etiam convenit, in rigore § 2 CIC debebat dicere consuetudines, non «praeter ius», sed «praeter hunc Codicem», tam propter parallelismum cum § 1, quam eo quod harum consuetudinum consideratio non pendet ab eo quod fuissent consuetudines «praeter ius antiquum», seu antequam CIC promulgaretur, sed tantummodo si, quando Codex promulgatus est, erant «praeter ius novum», id est praeter ius Codicis. Agitur enim de consuetudinibus «vigentibus» tunc cum CIC promulgabatur, quae erant igitur consuetudines iuris, nec iam dici poterant «praeter *ius*».

22. Maioris momenti, est discrimen quod ad consuetudines veteres, Codici «contrarias», attinet.

CC videtur proponere normam valde simplicem: Principium quidem: omnes consuetudines «contrariae» revocantur sive reprobantur sive non. Exceptio- nem deinde quoad non reprobata: si sint centenariae vel immemorabiles.

Verumtamen, analysis accuratior, salvo meliori iudicio, simplificationem can. 6,2º CC minus probandam ostendit.

23. Nullo modo innuitur cur habeatur distinctio inter consuetudines quae canonibus reprobantur vel quae non reprobantur, nisi quod exceptio tantum de his ultimis dicitur¹⁶.

¹⁶ CIC explicite de consuetudinibus contrariis «*sive universalibus sive particularibus*», id quod tantum implicite habetur in CC.

24. De consuetudinibus quae canonibus Codicis reprobantur, idem principium in utroque Codice statuitur: «revocatae sunt» (CC), «suppressae sunt» (CIC). Inter hos duos terminos haec videtur intercedere differentia, quod «revocatio» videtur dumtaxat se referre ad vim iuridicam; «suppressio» autem et ad vim iuridicam et ad ipsum factum consuetudinarium, scilicet ad interruptionem eius continuitatis ex parte auctoritatis.

Et quia «prorsus» supprimuntur, iuxta CIC, haec «suppressio», etiam ad factum consuetudinarium *in futuro* alludere videtur, unde intelligi potest praescriptum quod sequitur in can. 5 CIC, quod quidem nullo modo subintelligitur ex formulatione can. 6,2º CC. Praescriptum nempe: «nec in posterum reviviscere sinantur».

25. Hocce praescriptum continet id quod specificum est instituti «reprobationis» canonicae consuetudinis. Simplex enim suppressio (etiam sub emphatico «*prorsus*» CIC) tantum id significat, consuetudinem non amplius «vim legis» habere, sed minime importat eam consuetudinem in futuro non posse «reviviscere», iuxta expressionem CIC, nec posse, igitur, unquam acquirere in futuro vim legis.

Iuxta praescriptum autem CIC id possibile non est, ideoque institutum «reprobationis» est instru-

Quod supprimantur consuetudines particulares contrariae, per se non respondet principio iuridico, iam a BONIFACIO VIII formulato, quod norma universalis non revocat normas particulares (cf. can. 20 CIC; can. 1502 § 2 CC), ideoque explicitatio CIC non videtur inutilis - quamquam dici possit minus consona, praesertim cum doctrina Concilii Vaticani II quae multum extollit Ecclesiarum particularium peculiaritates.

mentum quo auctoritas ecclesiastica omnino et absolute reicere potest determinatam consuetudinem.

Id quod plane cohaeret cum principio deinceps statutum quando agitur de consuetudinibus sub regimine Codicis, scilicet consuetudinem reprobata, non esse rationabilem. Idcirco numquam, dum reprobata manet, acquirere potest vim iuris (cf. can. 24 § 2 CIC). Hoc principium continetur sane etiam in CC, can. 1507 § 2, sed in hoc canone praeliminari illud minime innuitur. Revocatio enim sola non continet determinationem irrationabilitatis, ideoque consuetudo revocata, potest denuo incipere ac potest, suppositis supponendis, vim legis in futuro acquirere.

Comparetur suppressio consuetudinis cui etiam addatur «clausula prohibens» consuetudinem futuram. Haec, iuxta utrumque Codicem, aliter ac in casu reprobationis, adhuc potest «reviviscere» ita ut «vim legis acquireret in futuro si centenaria evaderet aut immemorabilis (can. 26 CIC; can. 1507 § 3 CC).

26. Quod ad exceptiones attinet respectu consuetudinum contrariarum, etiam habetur discrimen notandum inter duos Codices.

Imprimis CIC duas considerat exceptiones, quarum prima «*nisi expresse Codice aliud caveatur*». De hac exceptione silet CC. Iuxta CIC ergo non «suppressae» sunt consuetudines contrariae «*si expresse in Codice aliud caveatur*». Nec aliqua exempla desunt ut vgr. in can. 1279 § 1 CIC, iuxta quem consuetudo legitima (inter alia) potest tribuere administrationem bonorum ecclesiasticorum alio quam ei qui immediate regit personam iuridicam¹⁷.

¹⁷ Correspondens c. 1023 CC exceptionem habet tantum «*nisi aliter iure caveatur*». Nulla est ratio cur «consuetudo legiti-

27. Alia est exceptio quae in utroque Codice consideratur, Verumtamen iuxta CIC exceptio est hypothetica, immo nec vera exceptio. Principium ut vidimus, est quod consuetudo contraria «supprimitur», seu iam non amplius habet «vim legis», nec ideo communitas tenetur agere iuxta ipsam. Verumtamen, si agatur de centenaria vel immemorabili, CIC statuit quod si «*de iudicio Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis submoveri*» non possit, tunc tolerari potest. Deberent igitur Ordinarii, iuxta principium, et pro munere quod habent promovendi observantiam iuris universalis, non consentire ut communitas pergeret observando huiusmodi factum consuetudinarium quod contrarium est legi vigenti. In adiunctis autem descriptis, possunt «tolerare» illam praxim. Porro, tolerantia non significat praxim «vim legis» habere, sed significat potius impunitatem; non obstante quod obiective violatio legis habeatur, Ordinarii ad violationem non attendunt, eamque tolerant seu non urgent canonice observantiam legis.

In CC autem exceptio sonat absoluta: si consuetudo contraria sit centenaria vel immemorabilis, non revocatur. Communitas igitur tenetur agere iuxta talem consuetudinem, utpote quae maneat consuetudo iuris. Haec optio CC conscie facta est, quia suppressio vel revocatio consuetudinum centenariorum et immemorabilium considerata est non conformis principio aestimationis traditionum antiquarum. Re quidem vera, ut notat Coetus orientalis revisionis,

ma» (CIC) intelligenda sit de consuetudine post CIC promulgatum. Immo, sic intellecta, canon exceptionem supervacaneam enuntiaret, siquidem iam patet CIC (can. 26) admittere consuetudines contra legem.

traditio canonica semper concessit speciale pondus huiusmodi consuetudinibus. Praeterea servare huiusmodi consuetudines iuvat ad continuitatem iuris. Id quidem in conformitate cum praescripto EO 2 de servandis traditionibus Rituum¹⁸.

Negari non potest canon 5 CIC respondere potius principio Codificationis tunc cum Codex latinus 1917 promulgatus est, scilicet principio unificationis, immo uniformitatis, iuris existentis, quod principium, si tunc temporis fortasse iustificari poterat, post Concilium Vaticanum II minus conforme et traditioni canonicae et principiis ipsius Vaticani II videtur.

28.

Can. 6 § 1

Hoc Codice vim obtinente, abrogantur: 1° Codex Iuris Canonici anno 1917 promulgatus; 2° aliae quoque leges, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis contrariae, nisi de particularibus aliud expresse caveatur; 3° leges poenales quaelibet, sive universales sive particulares a Sede Apostolica latae, nisi in ipso hoc Codice recipiantur; 4° ceterae quoque leges disciplinares universales materiam respicientes, quae hoc Codice ex integro ordinatur.

Can. 6,1°

Codice vim obtinente:
1° abrogatae sunt leges **iuris communis vel iuris particularis**, quae sunt canonibus Codicis contrariae aut quae materiam respiciunt in Codice ex integro ordinatam.

29. Canon CC etiam sonat multo simplicior quam canon CIC: leges enim praecodiciales abrogat omnes

¹⁸ Cf. *Nuntia*, n. 22 [1986] pp. 16-17.

«*canonibus Codicis contraria[s]*»; et, inter non contrarias, eas quae respiciunt materiam in Codice ex integro ordinatam.

Utraque species legum etiam habetur abrogata iuxta CIC (nn. 2 et 4). Sed non sine discrimine cum praescripto CC.

30. Differentia quaedam notatur imprimis terminologica, quando de hoc canone agitur. CC enim habet abrogari leges «*iuris communis vel iuris particularis*». CIC autem leges «*sive universales sive particulares*».

Quidquid est de iure communi CC in oppositione ad ius *particulare* singularum Ecclesiarum orientalium sui iuris, et de terminologia orientalium propria¹⁹, in iure latino iam non loquimur de iure «*communi*» in oppositione ad ius «*particulare*», sed de iure universali²⁰.

¹⁹ «*Nomine iuris communis in hoc Codice veniunt praeter leges et legitimas consuetudines Universae Ecclesiae etiam leges et legitimae consuetudines omnibus ecclesiis orientalibus communes*» (can. 1493 § 1 CC). «*Nomine vero iuris particularis veniunt omnes leges, legitimae consuetudines, statuta aliaeque iuris normae, quae nec universae Ecclesiae nec omnibus Ecclesiis orientalibus communes sunt*» (§ 2).

²⁰ Sub iure CIC/17, loquebantur auctores de iure «*communi*», variis modis, in oppositione praesertim ad ius speciale seu ius singulare aut exceptionale respectu normae ordinariae. Cf. MICHELS, *Normae generales* Juris canonici, I, ed. 2^a, Desclée et Soc., Parisiis, etc. 1949, p. 5. Ipse notat hunc modum loquendi non ab omnibus admitti. VAN HOVE putat accuratius esse opponere ius *commune* iuri *singulari*, ius *speciale* iuri *generali* (*Prolegomena*, ed. 2^a, H. Dessain, Mechliniae-Romae 1945, n. 42,5). In CC vero normae *speciales* opponuntur potius normis iuris communis simul cum normis iuris particularis: cf. cann. 46 § 2 et 758 § 3.

31. Quoad leges «*quae materiam respiciunt in Codice ex integro ordinatam*»²¹, discrimen notatur quatenus CIC has leges qualificat, amplitudinem abrogationis restringendo, «*leges disciplinares universales*». Formulatio simplicior CC, prout patet, locum dare potest incertitudinibus, plus minusve, numerosis et momenti praesertim doctrinalis, si forte non practici.

32. Duae manent species legum abrogatarum de quibus disponit CIC, dum CC silet. Prima quidem, dici posset ex natura rei non memorari in CC, etenim CIC statuit in primo loco Codicem 1917 abrogari. Sed si verum est Ecclesias orientales non habuisse Codicem completum pro omnibus illis communem, sed saltem habebantur partes iam codificatae variis Litteris apostolicis *motu proprio* datis (cf. JOANNES PAULUS II, «*Sacri canones*», AAS 82 [1990] 1040). Utique, norma quoad leges contrarias, vel de materia ex integro ordinata, absque dubio valet de legibus quae his Litteris apostolicis continentur, non minus quam de aliis omnibus legibus ante CC vigentibus, non videtur necessaria norma specifica de his iam codificatis. Immo, neque in CIC fuisset necessaria norma (sub n. 1) de abrogatione CIC/17.

Id iam notavit aliquis Pater ad adunationem Plenariam Commissionis anni 1981, qui proposuit suppressionem n. 1, quia «*per se patet*». Quod si Secretaria putavit rationem non esse veram, quia «*si non haberetur*» [praescriptum abrogans CIC/17] «*Codex novus derogaret tantum Codici anteriori, quatenus*

²¹ Non est litteralis repetitio verborum CIC: leges «*materiam respicientes, quae hoc Codice ex integro ordinantur*». Non autem habetur discrimen conceptuale.

eidem esset contrarius», responsio haec verum continebat quia in Schemate 1980, de quo erat quaestio pro Plenaria, nondum habebantur verba «*ex integro*»²².

Quod autem norma explicita abrogans illas leges Codificationis orientalis partialis non habeatur in CC, videri potest satis mirum, siquidem iuxta Coetum revisionis, intentio prima huius can. 6,1° CC haec quidem erat ut abrogarentur leges quattuor *Motu proprio* a Pio XII promulgatae, utpote non omnino traditioni orientali respondentes²³.

33. Notandum est in CC nullam statui exceptionem quoad principium abrogationis legum Codici contrarium. Statuitur autem in CIC: «*nisi de particularibus aliud expresse caveatur*». Iam vero, siquidem non statutum est principium praevaletiae legum particularium, etiam iam ante Codicem vigentium (salva expressa exceptione in canonibus), principium quidem magis cohaerens cum traditione et cum attentione ad praescripta Concilii Vaticani II, valde neces-

²² Cf. *Communicationes* 14 (1982) 129. Admissit Commissio normam n. 4 non esse nisi applicationem normae quae in can. 20 continetur, quae quidem valet pro omni lege «*etiamsi in can. 6 non statueretur*». Atque addebat: «*Ad omne tamen fugandum dubium, addatur post "hoc Codice" locutio "ex integro" (Ib. sub 4).*

²³ Prima formulatio erat generalissima, quatenus abrogatio non limitabatur ad leges priores *contrarias*: «*Abrogatae sunt omnes leges ac normae, a quacumque auctoritate editae, quae materias respiciunt quae hoc Codice ordinantur*». Videretur igitur legislationem orientalem incipi *totaliter de novo*, nisi quod, iuxta Coetum, CC continere debebat normas communes essentielles omnibus Ecclesiis suis iuris, et quidem normas conformes veteri iuri Orientali, seu illi iuri quod erat in vigore ante divisionem Ecclesiarum (cf. *Nuntia*, n. 10 [1980] p. 90; n. 3 [1976] p. 14,2; n. 22 [1986] p. 18).

sarium erat ut saltem exceptio statueretur quae observantiam erga ius particulare ostenderet. Quae exceptio, de facto, in pluribus legibus CIC locum habet, ut vg. in can. 119 CIC, iuxta quem, in actibus collegialibus praevallet ius vel statuta prae norma in eodem canone praescripta²⁴.

34. De legibus poenalibus a Sede Apostolica (etiam particularibus, seu pro determinata Ecclesia particulari aut coetu) statuit CIC principium eas abrogatas esse nisi in CIC receptae fuerint.

Hoc principium non est simplex repetitio eorum quae prius in canone statuuntur, etenim haberi potuissent leges poenales, sive universales sive particulares ab ipsa Sede Apostolica, *non contrariae* legibus poenalibus existentibus, sed potius *praeter ius*. Ut igitur huiusmodi leges, quae iuxta praecedentia non abrogarentur, permansissent, in ipso Codice recipi debebant.

35. De legibus poenalibus nihil statuit can. 6,1^o CC, ideoque videretur dicendum, leges poenales *non contrariae* CC, et quidem «iuris communis», manere adhuc in vigore. A fortiori manere debent leges poenales Ecclesiarum particularium *sui iuris*.

De hac omissione, quae primo aspectu maioris momenti videri posset, nullam explicationem inveni in actis Coetus publicatis in ephemeridibus *Nuntia*. Liceat coniectari quod leges poenales quaecumque (scilicet sive «iuris communis» sive particulares etiam

²⁴ Can. 924 CC similiter determinat: «*Ad actus collegiales quod attinet, nisi aliud iure expresse statutum est*»... Sed ius praecodiciale contrarium abrogatum esse debet iuxta normam can. 6,1^o.

a Sede Apostolica), sive contrariae sive non contrariae CC, abrogari per clausulam «*aut quae materiam respiciunt in Codice ex integro ordinatam*», etenim, prout cogitari potest, titulus XXVII CC: *De sanctionibus poenalibus in Ecclesia*, absque dubio considerandus est materiam poenalem «ex integro» ordinare.

36. Utrum necne sustineri possit quod et in libro VI CIC: «De sanctionibus in Ecclesia», etiam habeatur reordinatio materiae ex integro, sine dubio opinabile manet et satis probabile. Potest tamen dici, praescriptum huius can. 6 § 1,3^o CIC non esse supervacaneum, non modo ad maiorem claritatem et securitatem iuridicam, praesertim ex eo quod can. 6,5^o CIC 1917 praescriptum continebat expressum «*Quod ad poenas attinet...*», sed etiam quia in can. 6 § 1,4^o CIC, aliter ac in can. 6,1^o CC, agitur explicite «*de legibus disciplinariis*» dumtaxat. Omissio qualificationis «*disciplinaries*» in CC conscia fuit, quamquam non necessario sub respectu quem nunc exponebam. Scriptum est enim a Coetu, qualificationem non consideratam fuisse necessariam²⁵.

37.

Can. 6 § 2

Canones huius Codicis, quatenus ius vetus referunt, aestimandi sunt ratione etiam canonicae traditionis.

Can. 2

Canones Codicis, in quibus plerumque ius antiquum Ecclesiarum Orientalium recipitur vel accommodatur, praecipue ex illo iure aestimandi sunt.

²⁵ «*Car il lui semblait [coetui] suffisant de dire "a quacumque auctoritate" editae*» (*Nuntia*, n. 10 [1980] p. 91). Non mihi patet argumentatio, quia quaecumque sit auctoritas, potius refferri videtur ad ordinem hierarchicum, non ad «qualitatem» legum.

38. Canon 2 CC valde differt a Can. 6 § 2 CIC. Imprimis hypothesis duorum canonum est omnino diversa.

Canon CIC considerat possibilitatem canones Codicis referre posse ius vetus, quod ius vetus intelligendum est omne ius a Codice derogatum. *Referre*, non significat practicam exceptionem principio derogationis, sed tantum indicat canones posse proponere normam sive eandem sive similem normae iuris veteris. Id quod rationabiliter expectandum erat in CIC/17 siquidem «*codificationem* legum exsistentium intendebat. CIC autem 83 non iam codificationem legum exsistentium intendebat sed CIC/17 revisionem, unde etiam valde est rationabile praesumere ius vetus satis frequenter «*referri*».

CC statuit, e contra, non modo ius vetus referri posse, sed ipsum plerumque in Codice *recipi*, scilicet codicem non abrogare illud ius vetus, sed e contra illud ius retinere et incorporare in Codicem, alias vero illud ius vetus quod non retinetur modificare et accommodare.

39. Deinde, posita hac diversa hypothesis, norma statuta in duobus canonibus etiam diversa est.

CIC statuit normam quandam generalem *interpretationis*. Cum aliquis canon *referat* ius vetus (quod, ut dixi, ut tale, abrogatum est), interpretatio canonis novi rationem habere debet canonicae traditionis, scilicet rationem habere debet illius iuris quandoque vigentis nunc iam abrogati. Non quidem ut canon novus intelligatur prout intelligebatur ius vetus, sicut in Codice 1917 statuebatur:

«2º *Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi,*

3º Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diudicandi;» (can. 6, 2º-3º).

Sed ratio traditionis canonicae habenda est, ut melius intelligatur canon novus. Etenim historia evolutionis iuris multum iuvare potest ad sensum normae stabiliendum. Canon novus qui ius vetus refert ostenditur ut norma non omnino nova sed quae ex antiqua norma quodammodo provenit, unde si norma manet similis clarius intelligi poterit considerando historiam normae. Quodsi e contra, quodammodo mutata et quatenus mutata, etiam clarius apparere poterit sensus mutationis ideoque sensus normae novae.

Canonem non imponere ut sensus veteris normae retineatur apparet sive ex eo quod statuatur tantum ut *ratio habeatur* traditionis canonicae, sive ex adhibita particula *etiam*. Sensus etenim verborum in textu et in contextu, cum aliis normis subsidiariis interpretationis (can. 17), manet primum et fundamentale criterium interpretationis, sed consideratio *etiam* traditionis canonicae non parum iuvabit ad sensum legis determinandum. Traditio canonica manifestare poterit cur et quoadusque norma vetus retineatur, vel etiam cur et quoadusque ea mutata fuerit.

40. Statutum autem can. 2 CC diversum etiam omnino est quatenus se refert ad omnes canones qui dicuntur aestimandi seu intelligendi «*praecipue*» ex iure antiquo. Ratio ab ipso canone praebetur, quod canones CC plerumque ius antiquum recipiunt vel accommodant. Exinde, concludendum est, sensum iuris veteris evadere criterium primum et fundamentale interpretationis CC!²⁶

²⁶ Ni fallor quaedam habetur incohaerentia cum can. 1499

Formulatio canonis intelligitur ex intentione Commissionis pro revisione codicis Orientalis secundum quam iste Codex significare debet restaurationem iuris antiqui orientalium Ecclesiarum, contra «latinizationem», etiam ope quattuor M.p. a Pio XII promulgatorum²⁷.

41. Ex dictis patet discrimen cum can. 6 § 2 CIC non leve esse. Aliud enim est nos debere canones actuales intelligere prout in iure antiquo intelligebantur (CC), — id quod nec semper possibile est, siquidem quandoque ius antiquum *accommodandum* est novis exigentiis — aliud est ad actuales canones interpretandos rationem *etiam* habere debere sensus iuris antiqui.

FRANCISCO JAVIER URRUTIA, S.J.

qui exponit criterium fundamentale interpretationis aliud, scilicet significationem propriam in textu et contextu, iisdem verbis ac in can. 17 CIC. Formulatio criteriorum secundariorum stylistice, non quoad rem, differt ab ea dicti can. 17.

²⁷ *Nuntia* memorabant explicite hanc intentionem reveniendi ad ius antiquum «*che è stato in diverse parti abrogato dai quattro Motu proprio*» (n. 22, 1986, p. 18). Coetus mentem ostendit in favorem continuitatis iuris: «*L'antiquum ius Orientalium Ecclesiarum è il parametro fondamentale per la sua valutazione*» (*Ib.*).

Eodem tempore, intentio simpliciter opposita, manifestata est, quin in coetu aliqua perplexitas vel admiratio inveniatur: «*Antiquum ius Ecclesiarum Orientalium ita accipiendum est prout in hoc Codice recipitur et interpretatur [sic]*» (*Ib.*).

Quomodocumque, coetus admittit possibilitatem *evolutionis* iuris antiqui, prout in ipso canone apparet: «*...anche gli aggiornamenti dello ius antiquum non debbono essere considerati come un distacco da esso, bensì, come una giusta evoluzione della tradizione*» (*Ib.*, p. 19).